H. G. Masius
Desponsatio Fidelium
cum Christo.
Argentorati 1679.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

1,– 149.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 011 10 4

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

ב״ש ה״קבה.

DESPONSATIO FIDELIUM CUM CHRISTO,

Quam

ex Hoſ. II. verſ. 19. 20.

EXERCITATIONE ACADEMICA expoſitam,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Summè Reverendi, Ampliſſimi atque Excellentiſſimi

DN. SEBASTIANI SCHMIDII,

SS. Theol. D. & Prof. Primar. celeberrimi,
Convent. Eccleſ. PRÆSIDIS graviſſimi,
RECTORIS h. t. MAGNIFICI,

Domini Hoſpitis: Præceptoris ac Patroni filiali cultu proſequendi,

Solenni eruditorum Cenſuræ

Ad d. Octobr. A. M DC LXXIX.

ſubmittit

M. HECT. GOTFRIED MASIUS,
Meclenburgenſis, A.

935

ARGENTORATI,
Typis JO. FRIDERICI SPOOR.

Wendelini Exercitationes.
Musaei scripti ... Rheinh.
Masson. Anatam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

VIRO

Conſultiſſimo, Ampliſſimo ac Excellentiſſimo,

DN. ANTONIO HENRICO GLOXINO,

J. U. D. Sacr. Cæſar. Maj. Conſiliario graviſſimo, & Comiti Palatino,

Dn. Patrono ætatem obſervando,

S. P. D.

Autor.

NUnquam nimia eſſe poteſt pietas, nec juſto frequentius grati animi indicium. *Idque ſatis cauſæ mihi viſum eſt, cur Diſputationem hanc Academicam Ampliſſimo Nomini Tuo inſcriberem, cui jam aliquoties meos qualescunque conatus ſacros eſſe volui. Quod proverbio dicitur:* Ne bis ad eundem, *tantopere mihi cavendum non eſt, qui non, ut fieri quandoque ſolet, moleſtè ambio favorem tuum: ſed obſequia mea pietatemque teſtor. Neque etiam* bis ad eundem *venio, quem magis magisque benevolentiorem experior, ut in dies in* Te *ipſo novum majoremque Patronum mihi nactus eſſe videar. Quam felicitatem meam tacito pectore complecti nefas eſſe duco, id ſemper acturus, ut vel me interprete erudito orbi innoteſcat, eſſe* GLOXINUM *noſtrum non omni modò divinarum humanarumque rerum ſcientia inſtructum, ſed & inter eos* Principem, *qui* Studia *ſacra eorumque cultores operâ & conſilio juvant. Idque in præſens ultra deprædicarem, ſi longiorem panegyrin vel hujus chartæ anguſtia vel modeſtia tua pateretur. Hæc tamen obſtare non poterit, quò minus aliquando in laudes tuas liberiùs ſe diffundat beneficiis tuis incitata pietas,* Tuoque *Nomini Ampliſſimo vendicet famam, quam inter cultioris ævi elegantias ornamentaque mereris. Interea patiaris quæſo, Ampliſſime Vir, ut hoc quicquid eſt, obſidis vicem tantiſper expleat, dum felicius ſeculo noſtro exponam, quantum non Ego tantùm ſed & alii, imo tota* TIBI *debeat literaria Res publica.* DEUS TE *ſervet publico bono, inque Tua ſalute impleat mea aliorumque Vota. Vale!*

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Q. B. V. O. M. D.

JUſtificationem noſtram excipit jucundiſſimus ille nexus, quo ſe Salvator noſter, imo tota SS. Trinitas, homini fideli quam arctiſſimè jungit, eique gratiam ſuam & beneficia omnia firmiſſimè obſignat. Unionem myſticam dico, quam Scriptura paſſim verbis quidem impropriis ſed dulciſſimis expreſſit, *per inhabitationem Chriſti in cordibus noſtris*, Eph. III, 17. *Per inſitionem palmitum in vite ſpirituali*, Joh. XV, 4. *Per conjugium myſticum*, Eph. V. & omnium emphaticiſſimè *per deſponſationem fidelium cum Chriſto*, Hoſ. II, 19. 20. quem locum, cum ſpecimen quoddam Academicum edendum eſſet, non indignum judicavi, in quo cogitationes noſtræ aliquanto altius defigerentur. Equidem de unione myſtica in genere nonnulla meditatus fueram; ſed cum paululum calamo indulgerem, præter opinionem in tantam amplitudinem crevit materia, ut fere tractatus formam adæquaret. Ut ergo limites haberet diſputatio, neque ego vel prolixitatis gloriam ambire, vel novum erudito orbi fœtum obtrudere viderer, contraxi materiam in unius dicti anguſtias, & qua fieri poterat brevitate, haſce pagellas tantum conſignavi, non alio fine, quam ut argumentum quoddam eſſet diſputandi. Sit igitur juvante Sponſo eodemque Salvatore meo

SECTIO PRIMA EXEGETICA.

Sectio I. Exeget.

Verba Textus ita leguntur: וארשתיך לי לעולם וארשתיך לי בצרק ובמשפט ובחסד וברחמים: וארשתיך לי באמונה וידעת את יהוה. quæ latinè vertit Arias Montanus in hunc modum: Et deſponſabo te mihi in ſeculum, & deſponſabo te mihi in juſtitia & judicio & miſericordia & in miſerationibus, & deſponſabo te mihi in fide, & ſcies Dominum. Non multùm abeunt Vatabli, Tremellii,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Caſtalionis aliorumque translationes, itemque Syriaca, & Arabica verſio. LXX. interpretes ita tranſtulerunt: ϗ μνηστεύσομαί σε ἐμαυτῷ εἰς τὸν αἰῶνα, ϗ μνηστεύσομαί σε ἐμαυτῷ ἐν δικαιοσύνῃ, ϗ ἐν κρίματι, ϗ ἐν ἐλέει, ϗ ἐν οἰκτιρμοῖς· ϗ μνηστεύσομαί σε ἐμαυτῷ ἐν πίστει, ϗ ἐπιγνώσῃ τὸν κύριον· Sed priora verba notante Druſio in pleriſque libris deſiderantur, in verſione tamen antiqua reperta fuerunt. Paraphraſis Chaldaica latinè ita ſe habet: Et conſolidabo vos coram me in æternum, ſtabiliamque vos in veritate & judicio, & in miſericordia & miſerationibus. Denique confirmabo vos coram me in fide, & ſcietis timere à facie Domini.

Lutherus ita reddidit: **Ich wil mich mit dir verloben in Ewigkeit / ich wil mich mit dir vertrauen in Gerechtigkeit und Gericht / in Gnad und Barmhertzigkeit / ja im Glauben wil ich mich mit dir verloben / und du wirſt den HERRN erkennen.** Sic etiam ferè Anglica & Gallica verſione mens Prophetæ expreſſa eſt.

Scopus dicentis.

§. II. Textu cum translationibus præmiſſo ſcopum dicentis inſpiciemus. Patet autem ille è generali totius capitis connexione, quæ hæc eſt: Poſt acerbas comminationes DEUS interprete Propheta gratiam novi fœderis in Chriſto populo ſuo offert, quam cum fide & lætiſſimo cantu acceptaturus ſit Iſraël, verſ. 15. ſubjungit bona credentibus cùm privativè tùm poſitivè exſpectanda. *Privativè* bona ſunt: Repurgatio cultus divini ab Idololatria, & protectio Eccleſiæ adverſus hoſtium inſultus, v. 16. 17. 18. *Poſitivè* bona ſunt tùm novi fœderis pactum, tùm deſponſatio Chriſti cum Iſraële, aliorumque bonorum collatio. In noſtro textu proponitur illud bonum, quod in deſponſatione Chriſti cum Iſraële ſitum eſt, & ex eo etiam oſtenditur fidelium futura in N. T. felicitas gratiæque certitudo. Ut logicè reſolvamus, videtur hæc eſſe collectio generalis: Quoscunque ſibi DEUS ipſe deſponſaturus eſt, illi de gratia certi eſſe poſſunt. Atqui fideles ſibi deſponſaturus eſt. E. Et majorem & minorem pluribus probat in noſtris verſiculis. Minorem quidem expreſſis verbis, & ne quid dubii reſideat, ter repetito deſponſationis vocabulo, addita mentione fidei q. d. Q. per fidem oblatam ſibi gratiam accepturi ſunt, illos mihi deſponſabo. At fideles ſunt illi. E. Majoris

Logicè reſolvitur.

joris

joris connexio patet ex his verbis: *deſponſabo te mihi in fide*, q.d. non enim à parte ſponſæ præter fidem ſalvificam quicquam expoſco, hac poſita ſponſalia rata erunt. Majorem principalis ſyllogiſmi aliquot argumentis confirmat. Primum argumentum latet in emphaſi deſponſationis, & eruitur hoc modo. Q. DEO ſuo tam prope ut ſponſa ſponſo juncti ſunt, illi de gratia certi eſſe poſſunt. At quos ſibi deſponſaturus eſt, ſunt illi, qui tam prope &c. E. II. Argumentum probandi majorem petitur à dote, quam ſecum ſponſus affert h.m. Quibuscunque juſtitia DEI imputatur, illi de gratia & ſalute æterna certi eſſe poſſunt. Atqui fidelibus &c. E. Maiorem ponit extra dubium, Minorem occultat in his verbis: *deſponſabo te mihi in juſtitia.* III. Argumentum à deſponſationis perpetuitate & conſtantia ſumitur. Poterat excipere afflicta anima, ſed qualis hæc eſt gratiæ certitudo? forte ſeria non eſt, ſed lubrica, ſed inconſtans. Igitur aliud argumentum inſinuat. Q. æterno nexu cum DEO juncti eſſe poſſunt, illis de gratia dubitandum non eſt. Atqui DEO deſponſati &c. E. IV. Argumentum petitum eſt à miſericordia deſponſantis, in quo latet iterum tacita occupatio. Poterat enim quisquam cogitare: At indignus ego & meritis deſtitutus quî potero particeps eſſe tantæ tamque ſanctiſſimæ conjunctionis? occurritur ergo his cogitationibus per vocabula: בחסד וברחמים in miſericordia & miſerationibus: q.d. Q. juxta miſericordiam DEI deſponſantur, illis propter indignitatem ſuam de gratia unionis dubitandum non eſt. Atqui E.

§. III. Hic igitur eſt dicti ſenſus: Qui gratiam in N. fœdere oblatam accepturi ſunt, variis à me bonis afficientur, in quorum numero illud quoque non minimum eſt, quod cùm DEO ſuo propius uniti, eidemque modo ſingulari & myſtico deſponſati erunt. Ego enim ipſe DEI filius humanam carnem aſſumpturus ſpondeo fidelibus arctiſſimam conjunctionem, & in dotem offero juſtitiam meam h.e. omnia beneficia ipſis parta, quæ ſi fide, vera & ſalvifica ſibi applicuerint, jam & firmus ille nexus & à parte quidem mea æternus erit. Senſus dicti.

§. IV. Sed ut hæc clariora fiant, paulo penitius inſpicienda ſunt textus noſtri viſcera, & ſingula eius verba ſedulò evol-

venda. Id fiet hoc ordine, ut I. Subjectum deſponſans. II. Subjectum deſponſandum. III. Sponſalia ipſa. IV. Sponſi ſponſæque partes. V. Deſponſationis adjuncta expendamus.

I. Subjectum deſponſans.

§. V. Ut grammaticè textum reſolvamus, opus non eſt, caret enim omni difficultate. Eruenda potius mens eſt, eo, quo diximus, ordine. Itaque quod *ſubjectum deſponſans* attinet, dubium non eſt, quin ſecunda Divinitatis perſona Chriſtus Salvator noſter Eccleſiam ſuam alloquatur, eique amorem & unionem indiſſolubilem modo ſingulari & myſtico ſpondeat. Neque tamen Pater & Spiritus Sanctus ab iſtis ſponſalibus excludi debent, (cum ſint opus ad extra, adeoque indiviſum) peculiari tamen modo Salvatori noſtro aſſeruntur, cujus incarnationem ſi non involvunt, ſaltem tanquam fundamentum præſupponunt. Sunt nonnulli interpretum, qui ter repetita deſponſandi voce ad SS. Trinit. myſterium reſpici putant, quorum uti pia eſt conjectura, ita improbari nobis non poteſt. B. Hieronymi alia tamen eſt ſententia, ſc. hîc triplicem deſponſationem cum Abrahamo ante legem, cum Moſe ſub lege, cum Chriſto poſt legem factam intelligi; quam ſententiam argutam & frivolam appellat Calvinus. (α) Ipſe verò, ut & aliqui noſtratium, per repetitionem iſtam fœderis myſtici certitudinem innui exiſtimant, ne quis dubitandi locus relinquatur. Non deſunt etiam, qui hæc ad deſponſationis myſticæ modum trahunt, quem triplicem eſſe volunt, cum ſponſus incarnatus carnem ſibi noſtram copularit, cum paſſione ſua ſummi amoris pignus obtulerit, & in Pentecoſte largiſſimis Spiritus S. donis obſignarit. (β) Sed hi à ſcopo planè abeunt, à quo longius etiam recedunt Judæorum Magiſtri ſuper hunc locum, ut R. David Kimchius, qui hæc ad tres captivitates, Ægyptiacam, Babylonicam & Romanam refert; Abarbanel verò in hunc locum tres habitationes, Moſis habitaculum, templum Salomonis, & templum Zorobabelis interpretatur.

(α) *Comment. in Hoſ. II. cap.* (β) *quæ ſententia eſt Philonis Carpathiorum Epiſcopi in cant. cant. Tom. I. Biblioth. Patr. in cant. 3. 11.*

II. Subjectum deſponſandum.

§. VI. Subjectum deſponſandum è voce ארשתיך ſimul innoteſcit. In Hebræo ſuffixum fœmininum reperitur, ut populus Iſraëliticus inſtar mulieris & ſponſæ ſiſtatur. Antea de Iſraëlitis in plurali maſculino locutus fuerat, hîc fœmininum adhibet, ſub

quo

quo ſimul Eccleſia Chriſti ac unusquisque fidelis intelligendus eſt. Cùm enim addit: *deſponſabo te mihi in fide*, non obſcurè indicat; Subjectum deſponſationis myſticæ omnes illos eſſe, qui vera & ſalvifica fide oblatam ſibi gratiam apprehendant. Quod Eccleſiam viſibilem hic tantum intelligit Becanus (α) ex alio errore naſcitur, qui refutari facilimè poteſt, cum fidelis Chriſti anima ſæpius, ut roſa inter ſentes, lateat, omnique externo Eccleſiæ ſplendore deſtituta ſponſo tamen ſuo adhæreſcat. Quilibet ergo fidelis promiſſi huius particeps eſt, licet non viſibili modo, ut Catharina Senenſis illa, quam clauſtro incluſam acceſſiſſe Salvator, eique coram & conſpicuè ſponſi fidem dediſſe ſatis lepidè fingitur à Pontificiis. (β.) Cui tantum fidei habemus, quantum Pontificiorum fabulæ in monaſticæ vitæ decus excogitatæ merentur.

(α) *Becan. manual. controv. l. 1. c. 3. n. 26.* (β) *V. Cornel. à Lapide in h. l. &c.*

§. VII. Per ipſa ſponſalia quid intelligendum ſit, variæ ſunt interpretum ſententiæ, quarum præcipuas ad quinque capita revocamus. Alii enim (I.) volunt ſummum DEI amorem in genere exprimi, quo ſuos complecti, bonorumque omnium participes reddere velit. (α) Deinde (II.) alii ſpecialius amorem ad populum Judaicum reſtringunt, ut per deſponſationem denotari putent receptionem populi fornicarii in gratiam, priorisque fœderis continuationem ſpiritualem. (β) à quibus (III.) non aliena eſt eorum ſententia, qui de temporibus poſt captiuitatem Babylonicam textum explicant, & per ſponſalia intelligunt reductionem captivorum ex anguſtiis in patriam. (γ) (IV.) Noſtratium alii de incarnatione locum accipiunt ſive nuptiis perſonalibus λόγου cum aſſumpta carne, qua mediante nobis etiam, ut ita dicam, propinquo affinitatis gradu junctus ſit. (δ.) alii tamen (V.) de gratia Evangelii exponunt, abolito V. T. & ſublatis umbris legisque ceremoniis. (ε) In his opinionum divortiis dicimus (1.) Sententia prima de amore DEI generaliter quidem vera eſt, non tamen ſic emphaſis vocabuli *deſponſandi* exhauritur. Neque enim ſynecdochen ſpeciei pro genere hîc agnoſcimus, ut per deſponſationem qualemcunque arctam conjunctionem & obligationem hîc intelligamus, ſed ſingularem illam copulationem unionis myſticæ ipſa conjugii III. Sponſalia ipſa.

 corpo-

corporalis copulâ arctiorem, docente Paulo ad Eph. V. Secunda ſententia locum obtinere non poteſt. Nimis enim clarum eſt è toto capite, non continuationem rupti fœderis, ſed novum fœdus promitti. Hinc opponitur priori pacto *ratione durationis*, fore æternum, *ratione mediorum*, quibus coaleſcere debeat, accedit vis verbi ארשתיך, quo non redintegratio conjugii, ſed nova ſponſalia ſignificantur: At enim verò, ſi maritus adulteram conjugem in matrimonii fidem recipiat, non dicitur eam ſibi deſponſaſſe, ſed denuò cum eâ in gratiam rediiſſe. Sententiæ tertiæ judaizanti totus textus reclamat. Nam quod hic promittitur vinculum, novum eſt, ſpirituale eſt, ſcilicet in fide conſiſtens non in rebus corporalibus, imò æternum eſt. Quæ omnia ad eductionem è captivitate Babylonica applicari nequeunt. Quartæ ſententiæ ita indiſtinctè conſideratæ quo minus aſſentiamur, plures cauſæ ſunt. Præterquam enim quod de nuptiis perſonalibus veſtigia nulla in S. literis extent (ζ) hîc etiam textus non patitur *præcisè* de incarnatione intelligi ſponſalia. Loquitur enim Propheta de ejusmodi ſponſalibus, quæ fide tanquam medio coaleſcunt, at aſſumptio Hum. Nat. noſtram fidem non præſupponit. Ultima ſententia aſſenſum meretur, ſc. hîc novum conjugium novamque deſponſationem in Evangelio per Chriſtum factam indigitari, non quod in V. T. ignotum fuerit Evangelium, aut ad fideles non ſpectarit, ſed quod novus & ſingularis in N. T. modus acceſſerit, qui in V. T. prædictus erat non exhibitus, nimirum ut ſupra dictum eſt, mediante incarnatione filii DEI, per quam aduentante corpore, V. T. umbræ abolitæ ſunt, q. d. Ego Filius DEI mediante incarnatione mea ut θεάνθρωπος te mihi deſponſabo in conjugium verum, & omnium arctiſſimum, ſed myſticum & ſpirituale. Ita mihi præivit Magnif. Dn. Præſes in Comment. MSpt. in Hoſeam, qui ut lucem publicam aliquando videat, novi plures mecum deſiderare.

(α) ita *Flac. in Clav. Script. ſub voce ſponſ. aliique.* (β) *contra quos Tarnov. & Meiſner. in Comm. in Hoſ.* (γ) *ita Grotius, Sanctius.* (δ) *Sic plurimi noſtratium tam veterum quam recentiorum. Vid. interpretes.* (ε) *ita Lutherus aliique.* (ζ) *V. Calov. Syſt.* T. *X. p.* 572.

IV. Sponſi ſponſæq; partes.

§. VIII. Ut in corporali conjugio contractus mutuus eſt, & certæ ſponſi ſponſæque partes, ita etiam in conjugio ſpirituali

Chriſti

Chriſti cum fidelibus cernitur mutua quædam relatio, aliæque partes ſponſæ, aliæ ſponſo vindicantur. De hoc quidem, quam dotem allaturus ſit, de illa verò, quomodo dotem accipere debeat. Sponſi partes primùm intuebimur in his verbis: וארשתיך לי בצדק ובמשפט ובחסד וברחמים: ubi incipit à copula ſpecificativa, q. d. & in ſpecie quidem hæ meæ partes erunt, hæc tibi dotis loco conferam. Verum quid ſibi velint hæc verba: *Juſtitia, Judicium, Gratia & Miſericordia*, non una eſt interpretum ſententia. Ad ſponſam hæc verba referunt Judæorum Magiſtri, i. e. Eccleſiam Judaicam, in qua viguerit judicium, juſtitia &c. ſed cum diſcrimine, ut alii quidem merita Patriarcharum, alii verò Poſterorum hic ſignificari putent. *V. R. Salomo. R. D. Kimchi, Abarbanel. &c.* Pontificii etiam communiter intelligunt vivendi Regulam ſponſæ præſcriptam, ſed in explicandis vocibus non conſentiunt. Videantur ipſi. Calvinianorum quoque ſunt diverſæ opiniones, niſi quod plerumque de virtutibus Eccleſiæ propriis vel de integritate ac rectitudine fœderis interpretentur. Noſtrates autem Theologi de ſponſi partibus communiter hæc verba accipiunt, & per צדק juſtitiam Chriſti meritoriam intelligunt, quantum verò ad diſcrimen vocabulorum, paulum diſcrepant. Accuratiſſima mihi viſa eſt ea verborum diſtinctio, quam tradit Magnif. Dn. Præſes in Tractatu jam laudato, cujus veſtigia ſequi ſanctum mihi ſemper erit. Ita autem ille: Omnia ad articulum juſtificationis pertinent, quippe in quo revera deſponſatio inter Chriſtum & fidelem hominem fit. Si tamen aliquatenus placet diſtinguere, *juſtitia* erit juſtitia Chriſti, quæ nobis imputatur, *judicium* verò abſolutio judicis vi juſtitiæ illius, *gratia* donans gratis juſtitiam, & *miſericordia* cauſa impulſiva interna motus miſericordiæ, ut gratis donetur juſtitia in judicio. hactenus ille. *Sponſæ partes* deſcribuntur in his verbis: וארשתיך לי באמונה וידעת את יהוה & deſponſabo te mihi in fide & cognoſces Dominum. Equidem ad quem referenda ſit אמונה num ad ſponſum vel ſponſam, non una interpretum mens eſt. Plurimi eam pro fidelitate DEI in promiſſis ſervandis accipiunt. Alii de fide hominis explicant, cum hoc tamen diſcrimine, ut aliis quidem fides illa ſit actus vel opus meritorium, aliis ſit notitia

rerum

rerum Theologicarum. Sunt etiam, qui fidelitatem hominis erga Deum intelligunt, hoc eſt conſtantiam & perſeverantiam hominis in faciendis illis, quæ ipſi ſunt à DEO præcepta. Nonnulli utriusque tàm ſponſi quàm ſponſæ אמונה h.e. conſtantiam & fidelitatem jungunt, quod utrinque fœdus ſincerum & ſine fuco eſſe debeat. Nobis dubium non eſt, quin de ſponſæ fide textus loquatur, eaque nihil aliud eſt, quam fides juſtificans, quæ beneficia à ſponſo oblata omnia ſibi ſalutariter applicat. Atque ſic eſt optima connexio verborum cum verſu antecedenti, ubi ſponſus à parte ſua juſtitiam, judicium, gratiam & miſericordiam quaſi in arrhabonem vinculi conjugalis offert, à ſponſa verò nihil aliud exigit quam fidem, quâ velut manu dona illa juſtificationis apprehendat. Quomodo etiam Habacuc. II. v. 4. אמונה ſumitur, fruſtra contradicente Calvino. (α) Hæc fides deſcribitur à cognitione DEI dum additur: & *cognoſces Dominum.* (Vav enim hîc copulativum potius eſt quam cauſale, *ut cognoſcas.*) Eſt enim pars fidei juſtificantis notitia, cujus ſolius mentione facta ſæpius tota fides cum aſſenſu & fiducia innuitur, Eſa. LIII. verſ. 11. Atque fic non ſine emphaſi cognitio copulatur cum verbis antecedentibus: Deſponſabo te mihi in fide, qua fide cognoſces Dominum, id eſt, non per cœcam fidem me tibi deſponſabo, ſed per veram & ſalutarem, quæ notitiam θεανθρώπου includit. Hîc verò notatu digna eſt deſcriptio אמונה, quæ tota quidem fidem hominis juſtificantem indicat, ſed diſtinctè ponit cauſam efficientem & actum formalem. Scilicet in illis verbis: Deſponſabo te mihi in fide, innuitur origo fidei, quod eam homo non ex ſe habeat, ſed à deſponſante tanquam cauſa efficiente accipiat, in illis verò: & cognoſces Dominum, exprimitur actus fidei formalis, nempe apprehenſio ipſa, ſeu cognitio gratiæ in Chriſto. Is enim fidei noſtræ objectum eſt atque ille Jehova, de quo dicitur: & cognoſces Jehovam, non excluſo tamen Patre & Spiritu S. quem in Chriſto poſſidemus.

(α) *Calv. in h. l. quod nonnulli philoſophantur, in fide, h. e. per Evangelium, ubi amplectimur gratuitas DEI promiſſiones, illud nimis argutum eſt. Ego non dubito, quin per fidem intelligenda ſit ſtabilitas & firmitas.*

§. IX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

§. IX. Inter adjuncta deſponſationis referimus fœderis *æternitatem*. Dicitur enim וארשתיך לי לעולם: Deſponſabo te mihi in æternum. Non deſunt, qui hanc vocem non de ipſa æternitate, ſed longo temporis tractu intellectam volunt, à captivitate Babylonica usque ad Chriſtum; Sed rectius inſiſtitur propriæ & primariæ vocis ſignificationi, quâ vera ſine fine duratio exprimi utplurimum ſolet. Quam ſententiam juvat comparatio inter fœdus prius Domini cum ſervis ictum, & inter hoc pactum ſponſi cum ſponſa initum; Illud quidem ad certam temporis menſuram durabat, hoc verò perpetuum planè & æternum eſt. Non tamen hîc audimus Calvinianos, qui æternitatem hujus fœderis male applicant ad perſeverantiam ſanctorum, ita colligendo: Chriſtus cum anima fideli in æternum ſe copulavit. E. renati nec fidem amittere nec gratiâ Spiritus S. excidere poſſunt. Quamdiu enim hoc ſpirituale conjugium irruptum manet, tamdiu & fidem & Spiritus S. gratiam reſiduam eſſe oportet. Jam verò illud æternum eſt. E. Reſpondemus enim (1.) deſponſationem illam ex parte DEI ejusque intentione eſſe quidem æternam; neque enim quicquam ille omittit, quo minus indiſſolubile illud vinculum perſiſtat, at verò (2.) licet Chriſtus ſe in æternum ſponſæ ſuæ obſtringat, non tamen abſolutè ſed conditionatè illud fit, ſub conditione fidei: *Deſponſabo te mihi in fide*, quod ſi hoc requiſitum à parte ſponſæ ceſſet, quid mirum ſi ipſum fœdus rumpatur. Quemadmodum enim & in vita communi arctiſſimum matrimonii vinculum, licet usque ad finem vitæ contrahatur, nihilominus adulterio commiſſo diſſolvitur, ita & hæc ſpiritualis unio per ſpirituale adulterium rumpi poteſt. Unde potius contra Calvinianos ex hoc loco argumentamur: Q. adulterium committere poſſunt, illi conjugium ſpirituale ſolvere poſſunt. Atqui renati. E. Major firma. Minorem probat totum caput ſecundum Hoſeæ, unde textus noſter deſumptus eſt. Et porrò: Q. vinculum ſpirituale rumpunt, illi fidem amittunt. Atqui renati ſæpe &c. E. Majoris connexio ſibi conſtat, quia in fide ſponſalia myſtica contrahuntur. Minorem probo: Q. mortali peccato ſe polluunt, illi vinculum ſociale rumpunt. Atqui ſæpe renati &c. E. Minor liquet exemplo Davidis, Aaronis, &c.

V. De ſponſationis adjuncta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Pontificii itidem voce æternitatis abutuntur, inferentes, Eccleſiam inviſibilem in fide errare & à Chriſto ſeparari non poſſe, cum ſit indiſſolubili nexu cum Chriſto conjuncta; ſed & illi ex his, quæ dixi, refutari facile poſſunt; Præterquam enim quod de Eccleſia viſibili nihil habet textus, æternus vocatur ille nexus, non quod ſemper ita ſit à parte noſtra, ſed quod eſſe debeat: ut alia taceamus. Verum nos hîc contra Pontificios feliciter tuemur; fœdus illud deſponſationis myſticæ cum fidelibus ictum à parte DEI omnino firmum & ſtabile eſſe, ad quod ſemper, ſi forte per peccata excidерimus, per pœnitentiam regreſſus detur. Non enim per pœnitentiam tanquam *ſecundam naufragi tabulam*, ut iſti loquuntur, novum cum Chriſto fœdus initur, ſed idem fœdus in Baptiſmo ictum & à noſtra parte peccatis interruptum redintegratur. Dicitur enim in textu nos ſibi deſponſare in æternum. Ita inter Scyllam & Charybdin media via navigamus.

§. X. Ad deſponſationis adjuncta nonnulli etiam referunt *cognitionem DEI*, quæ ipſis non eſt actus formalis fidei juſtificantis, ſed illius conſequens: intelligunt verò cognitionem practicam, ſenſum videlicet jucundiſſimum, qui ex unione Chriſti cum fidelibus fluit, ut quaſi in effectu cognoſcant, DEUM ſibi præſentem ac propitium eſſe. Ita putant continuari deſponſationis metaphoram, ut effectus ſubjungatur: *& cognoſces virum tuum in hac unione*, id eſt, ſenties, quàm prope tibi junctus ſit Salvator tuus: quæ explicatio tolerabilior tamen eſt, quàm aliorum detorſio, quibus quidem hæc cognitio etiam conſequens eſt unionis myſticæ, ſed ita, ut agnitionem theoreticam intelligant, h. e. notitiam fidei articulorum fundamentalium; quæ demum, ut illi volunt, gratioſam Spiritus S. inhabitationem conſequatur. Quaſi quis prius fiat ſponſa Chriſti, quam ſponſum agnoſcat, & fidem habeat ante fidem. Dici enim à Propheta poſt ſponſalia: tum demum cognoſces Dominum. Unde etiam hanc praxin in converſione hæreticorum inculcant, ut prius ad mores & pietatis ſtudia formentur, quò donorum Spiritus S. participes fiant, deinde cœtera, quæ fidem ſpectant, ſponte ſecutura. Quæ pernicioſa eſt doctrina, omnem diſſenſum fundamentalem inter nos & adverſarios excludens, & univerſalem quandam fidem nobis fingens, quæ mera eſt ignorantia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

rantia. Aut nimiùm fallor aut hoc pacto ſub pietatis umbra ad ſyncretiſmum graſſamur, quem alii per unionem dogmatum moliti ſunt. Nos verò ante notitiam articulorum primariò fundamentalium deſponſationem Chriſti nullam agnoſcimus, & è noſtro textu contrarium urgemus, ubi medium deſponſationis myſticæ non bona opera eſſe dicuntur, ſed fides, eaque non cœca ſed talis fides, per quam Jehovam verè cognoſcamus. Non tamen negamus hanc ipſam cognitionem eſſe augmenti majoris capacem, ut fideles magis magisque de fide in fidem, ad veritatem & penitiorem dogmatum intelligentiam ducantur, ut qui lacte hactenus nutriti erant, ſolidiori cibo frui poſſint. De quo fidei augmento ſi quis accipiat cognitionem practicam, non repugnamus.

// Necessitatem cognitionis Dei, pietati malè postponunt Arminiani. V. Calov. Armin. consid. p. 58. s. qui & paucis de Deo credita necessaria dicunt

SECTIO II. DOGMATICA.

Sectio II. Dogmatica.

§. I. Vidimus hujus dicti ſenſum & genuinam verborum expoſitionem, placet ulterius ejusdem ductu Deſponſationis myſticæ actum juxta cauſas & momenta ſingula paulo altius penſitare, ſed tamen ita, ut velut in tabella omnia quàm breviſſimè complectamur.

I. *Cauſa efficiens principalis deſponſationis myſtica.*

§. II. *Cauſa efficiens principalis deſponſationis myſticæ* DEUS eſt, Pater, Filius & Spiritus Sanctus; Eſt enim hæc deſponſatio, ut ſupra indicatum, opus ad extra, adeoque indiviſum & commune omnibus tribus Divinitatis perſonis, quarum trium ut una eſt eſſentia, ita & ἐνέργεια ac operandi virtus una. Quale fundamentum è ter repetita deſponſandi voce nonnulli petant, ſuperiꝰ in Sect. I. dictum eſt: cui non tàm innitimur quàm aliis Scripturæ dictis, ubi *unio myſtica*, cum qua ſecundum rem coincidit deſponſatio fidelium, toti Trinitati tribuitur. Quo ipſo tamen ordinem perſonarum, & approprìandi modum, aliosque reſpectus perſonæ deſponſantis non excludimus. Etenim *ratione termini & unionis* ad Chriſtum refertur myſtica deſponſatio, quippe qui ad hunc actum *non efficienter* tantùm ſed & *terminativè* & modo quodam intimiori concurrit. Hinc Pater & Spiritus Sanctus in S. Literis noſter ſponſus non vocatur, neque nos Patris aut Spiritus S. ſponſa dicimur ſed ſolius Chriſti. (*a*) Dubium etiam non eſt, quin ſecunda Divinitatis perſona in noſtro textu

 ipſam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

ipſam ſimul ὁμουσίαν & conſubſtantialitatem innuat, quæ inter ipſam hominesque tunc temporis adhuc futura erat, iam verò ita interceſſit, ut oſſa de oſſibus ejus dicamur, *Eph.V.29.* *Ratione principii verò & unitionis* Patri competit hæc eadem actio licet aliis verbis enuntiata. *Joh.XIV.Eph.I,*11.22.23. Spiritui S. verò ut totum ſanctificationis opus ita hæc ejus ſpecies peculiari modo & appropriativè aſſerenda eſt. Unde & *ſpiritualis dicitur deſponſatio*, non tantùm quod ſpirituali modo non carnali efficiatur, ſed etiam quod à Spiritu S. proficiſcatur. Quemadmodum verò tota SS. Trinitas circa deſponſandi actum occupatur, ita quoque ſola media largitur ad deſponſationem ducentia, perque ea in nobis efficax eſt, ut nos ſibi ſponſam puram ac illibatam efformet. Neque tantum efficit hæc ſponſalia ſed & virtute verbi ac Sacramentorum ſervat. Quicquid ergò in hoc amabili vinculo poſſidemus, id omne ipſi in acceptis ferendum eſt.

(α) *Vide* Cant.*IV.verſ.*8.*Matth.IX.verſ.*15. *& c.XXV.verſ.*1. *Apoc.XXI,*2. *&* 9. *Matth.XXII,*2. *Apoc.XIX,*7.

II. Cauſa meritoria deſponſationis myſticæ.

§. III. *Cauſa meritoria deſponſationis myſticæ* Chriſtus eſt cum ſatisfactione & juſtitia ſua, quam nobis in textu per verba: בצדק ובמשפט ובחסד וברחמים offert. Ut enim omnia bona ſpiritualia, ita hanc quoque deſponſationem nobis acquiſivit (α) velut mediator noſter juxta utramque naturam (β) & ſatisfaciens obedientia tàm activa quàm paſſiva (γ) omnibus etiam hanc deſponſationem promeritus (δ) licet illius actu ipſo non omnes propter fidei defectum participes fiant. Extra Chriſtum verò & in nobis nihil eſt, quod meriti alicujus rationem ſuſtinere poſſit, non opera bona quantacunque fuerint à renatis profecta, (ε) multò minus naturales liberi arbitrii vires aut gentilium cultus legi Naturæ conformes (ζ) imò nec fides ipſa, non tantum quâ opus noſtrum, ſed etiam abſtractivè & merito Chriſti contradiſtinctè conſiderata; licet concretivè cum merito Chriſti, quod apprehendit, ſumpta ad juſtitiam imputari dicatur. *Rom.V.* Notamus & hoc: meritum congrui & diſpoſitiones ad gratiam deſponſandi æquè hîc exulare jubentur ac meritum condigni. (η) Et ut initium gratiæ juſtificantis non meremur, ita nec hanc deſponſationem aut fœderis initi conſervationem ac perſeverantiam. (θ)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Christus mediator est juxta utramq; Naturam.

Non tantum juxta divinam. q. Andr. Osiandr.

NB. ad materia.

(1) dist: est inter actiones partiales et a distinctis naturis efficientes, et inter actiones totales seu meritorias. Et quidam actiones vel H. Naturae tantum vel D. N. tantum ... gr. mori. &c. sed ut sunt actiones illae meritoriae, ita spectant ad utramq. N.

11. Deus proprio sanguine. &c. Act. 20. 28. Jehova justitia nostra. Jer. 23. 5. 6.

Antith. 21 non tantum juxta H. Nat.

Nota Stancarus Prof. Regiomontanus cum Osiandro ... in aliud extremum ...

(2) Etsi Jesuitae nolint videri idem sentire tamen se produnt &c. v. allegatos in p. ...

(3) ... Bell. distinguit inter principium quod, et principium quo actionum mediatoriarum. & principium ... totum Christum, principium quo a. solam N. H.

obj: 1. 1. Tim. 2. 5. hoc Christus legitur. R. 1. concretum personae est, quod div. N. non excludit. (2) non n. dicit, ut homo tantum, sed ... Christus ... hoc est. 3. inde a. ... hoc adhibet, ... comparat inter primum hoc Adamum, & secundum. &c (4) ... hoc ... adeo terribilis &c.

(2) Gal. 3. v. 20. R. 1. mediator ... ... sed ... (2) ... non est unius, quo stabilitur nostra sententia.

Xstus satisfecit obedientia tam activa quam pass:

Nota Gal. 4. v. 4. Es. 9. v. 6. nobis &c.

sed o. homo est legi subjectus. R. ... hoc.

(2) ... obedientiam legi. R. non eo modo pro ...

(3) Xstus non vice nostra natus est. R. 1. est amphibolia. (2) nativitas Xsti, ut est munda, ita certe vicaria est. Christus natus ... vicem nostram suppleverit.

De merito congrui & condigni.

meritum Christi ad omnes hoies sese extendit.

Not. ... 1. Tim. 4. Xstus est mediator omnium hominum, maxime a. fidelium.

non meremur foederis initi conservationem & perseverantiam.

Not. (1) dist: est inter conditionem personae, quae est perseverans, & inter merita gratiae ... perseverantiae. Conditio personae est, ut abstineat ... R. ... meritum gratiae.

Not. 2. aliud est, an per M. O. perdamus gratiam, aliud an per B. O. servemus.

Pol. Thes. (1) quia nullam habet proportionem cum fine. (2) ... perseverantiam ... et vit. ... meremur ... C. causae ... C. ...

(3) Not. Pauli confess. 1. Cor. 4. 4. &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Fides vera ō est potis mortalibus com-
possibilis.

de fide implicita.

non ūt actio nostra.

non ūt obedientia legalis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

(α) *Vide Gal.IV,5.6. Joh.XVI,7.Eph.II,20.21.IV,15.16.* (β) contra *Lombard l.3.ſent. diſt.19. Dion.Petav.* T.4.*l.12.c.3.pag.160. Fr.Suarez.p.3.th.9.26.art.2.diſp.56.ſ3.* (γ) *contra Piſcator. in Joh.I. v 29.obſ.16.Wendelin Exerc.35.61.123.* (δ) *contra Calvin. communiter.* (ε) *contra Pontif. communiter.* (ζ) *contra Andrad. aliosque ap.Chemn.* P.*I. Exam.Conc.Trid.de Juſtif.* (η) *contra Durand. in 2. ſent.diſt.27.q.2.* T*anner.*T.2.*Theol.Schol. diſp.6. q.6.dub.*1.*conf.Bellarm.l.5.de juſtif.c.16.* (ϑ) *contra Aug. Gibb.de Burgo.in Concil.*Trid. *ſeſſ.6.can.24.cui affinis videtur aſſertio Helmſtadienſium quorundam: per bona opera conſervari fidem; quam tamen emollit D. Muſæus in Script. Germ. contra Rheinh. p. 576.*

III. *Cauſa inſtrumentalis à parte noſtri.*

§. IV. Sed quia meritum Chriſti nemini prodeſt niſi applicatum ſeu apprehenſum, fides illa manus eſt, qua ſponſum noſtrum cum omnibus beneficiis excipimus; quæ proinde deſponſationis myſticæ cauſa inſtrumentalis à parte noſtri dici poteſt. Expreſsè autem in noſtro textu fidei mentio fit, ut ſuperius in Sect. Exegetica probatum eſt. Et aliàs ubi Chriſtus ſponſæ ſuæ meminit, illam ut fidelem ſibique adhærentem deſcribit. Nec eget hæc aſſertio aliis probandi ſubſidiis. Deſponſatio hæc beneficium Evangelicum eſt, E. fide nobis appropriatur. 1.*Cor.I,21.* 2.*Petr.I,2.* fœdus eſt. E. unica fide initur. *Rom.IV. per tot.* vitam ſpiritualem infert, at hæc eſt in fide. *Col.II,20.* Fides igitur eſt, per quam hæc ſponſalia coaleſcunt, non verò implicita Pontificiorum fides (α) nec Calvin. illa peccatis mortalibus compoſſibilis (β) ſed vera & ſalvifica: quæ tamen in deſponſationem influit non ut actio noſtra (γ) nec ut obedientia legalis (δ) ſed ut apprehenſio meriti Chriſti, neque tamen quia eſt apprehenſio, ſed ratione rei apprehenſæ. Ut autem fide ſola inchoantur hæc ſponſalia, ita fide ſola ſervantur. Quemadmodum enim juſtitia noſtra, qua juſtificamur, per bona opera nec ſervatur neque augetur, ita nec myſtica deſponſatio.

(α) *Contra Bellarm.l.1.de juſtif.c.5. & 7.Tanner.Tom.2.diſp.6. dub.3.n.56.Concil.*Trid *ſeſſ.9.can.*12. (β) *contra Maſſon. part.3.c.8.* & 13. *Polan.l.9 ſynt.c.6 Rivet.*T.2.*oper.p.628. Wendelin. Exerc.120.* (γ) *contra Arminian.Epiſc.p.3.diſp.7.§.8 conf.Apol.112. reſp.ad Exc. Leid.ſpecim.13.* (δ) *contra Socinianos. Smalc. contra Frantz p.103. ſeqq. &c.*

§.V.

IV. *Cauſa inſtrumentalis à parte DEI.*

§. V. Cum autem fides noſtrum opus non ſit, ſed donum divinitus datum, neque tamen etiam immediatè infundatur (α) de mediis, quibus fides accenditur id ſaltem notamus, *eſſe Verbum & Sacramenta*, quæ propterea nobis cauſa inſtrumentalis deſponſationis myſticæ à parte DEI audiunt. *Verbo* hanc competere virtutem probamus ex effectis aliis. Per quodcunque enim medium regeneramur, fides in nobis accenditur, Spiritus S. confertur, illud etiam medium eſt deſponſationis myſticæ. Atqui per verbum &c. E. Majoris connexio inde patet, quia hæc apoteleſmata, regeneratio, juſtificatio, unio myſtica ſe invicem excipiunt, imò omnia ſimul ac in inſtanti fiunt, neque niſi noſtro concipiendi modo quod ad temporis rationem diſtinguuntur. Minor è Scripturæ dictis perſpicua eſt. (β) Ubi tamen verbo notamus: Spiritus S. per verbum, per quod non apices aut literas, ſed ſenſum intelligimus, una eademque actione non diverſa operatur. (γ) Verbum enim externum ab interno realiter non differt, (δ) neque tantum eſt objectum ſed & principium effectivum fidei. (ε) nec elevatur demum in actione ipſa, ſed jam gaudet (cùm ἄεργον & otioſum non ſit) virtute inſita eſſentiali & naturali (ζ) quæ tamen naturalis non eſt ex neceſſitate phyſica, aut eſſentialis independenter, ſed ex ordinatione divina, quamvis ut reipſa virtutem exſerat, legi audirique oporteat, non tamen, quia legitur vel auditur, hos effectus producit.

(α) *Contra Fanaticos.* (β) 1.*Cor.IV*,15. *Gal.IV*,19. *Jac.I*,18. 1.*Petr.I*,23. *Rom.X*,17. *Act.X*,44. (γ) *contra Calvin.l.2.inſt.c.5.§.5. Synod. Ultraject.p.293.* (δ) *contra Andr. Oſiandr.* in getr. Nürnb. Rathſchl. *&c. Bez.P.2.reſp.ad Act. Mompelg.p.115.ſ.* (ε) *Maſſon.* P.2. *anat.c.19. Wendelin.l.1. Chriſt.*Theol.*proleg.c.2.p.13. Voët.vol.1. diſp.ſel.p.2.* (ζ) *contra* Rathman. im Bedencken über *D.Dieter.diſp. de quæſtionibus quibusdam S.Scripturæ p.72.73. Movium diſc.*Theol. *H.2.f.2.*

§. VI. *Sacramenta* eſſe cauſam inſtrumentalem deſponſationis myſticæ, non minus conſtat. Et (1.) de Baptiſmo id probamus breviter: Quocunque medio in communionem capitis cum reliquis membris venimus, Chriſtumq; induimus, & Spiritum S. accipimus, illud & medium eſt nos deſponſandi cum Chriſto,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Sp. S. una actio per verbum operatur. (+ Calvin. q putant verbum tm signum esse Sp. S. vero illuminare. sed contra Sp. S. per verbum illuminat)

Not. (1) licet actio Sp. S. sit principalis, verbi autem actio sit organica: h. e. licet modus habendi sit diversus.
Not. haec operatio non moralis est, sed physica. 1. Cor. 2. 4.
Not. (3.) In omni subordinatione instrumenti ad C. principalem est una tm actio. e. gr. una actio est hominis dantis eleemosynam & manus porrigentis.

Verbum externum & internum non diff. realiter ut volunt Schwenkfeld. Calviniani. Calixt. &c.

Not. 1. orthodoxi aliter hanc distinctionem utuntur. B. Gerh. λόγον ἐνδιάθετον vocat verbum internum, λόγον προφορικὸν a. vocat verbum externum. (2) Idem verbum προφορικὸν potest distingui in externum et internum, ut discrimen sit modale, ut idem verbum ratione scriptionis, consignationis, externae praedicationis, auditionis vocem externum, ratione autem sensus, vel internae efficaciae, vel internae meditationis dicatur internum.

non est tm objectum, d. et principium effectivum fidei.

Not. (1) efficacia verbi non consistit in significatione objectiva (q. vult Wendel.) d. in vera & reali operatione et influxu &c. ut obj. Wendel. Exerc. 3. §. 4. an significare mysteria, hortari &c. est nihil agere. R. non est nisi actio objectiva, e. gr. ut statua mercurialis viatori viam ostendens agere diceretur. at in verbo est alia operatio vere effectiva, et verus influxus in conversionem. (2) Wendelinus, adhortationes, promissiones &c. vult tm significativas & moraliter operantes. &c.

Obj. 1. est res terrena. E. non potest h. effectum spiritualem producere. R. 1. Neg. quia formale verbi sensus divinus est. (2) Neg. conseq. ex. aqua in Baptismo ex ordinatione divina ad effectum spiritualem determinatur.
Obj. 2. Haec efficacia competit Spiritui S. E. non verbo. R. utrique suo modo. illi principaliter, huic instrumentaliter.
Obj. (3) E. omnes qui legunt verbum, convertuntur. R. dist. inter efficaciam, & efficaciae successum. Obj. (4) 1. Cor. 3. 6. Verbum non elevatur demum in actione ipsa. R. non denegat efficaciam verbo, sed dignitati ministri detrahit. (2) ostendit originem efficaciae & Deo adscribit.

Obj. ratio instrumenti, ut influat in effectum virtute ignobiliore, quam &c. R. 1. si instrumentum ita sumitur, S. S. potius medium quam instrumentum dici meretur. (2) Num ita non ignobilior est virtus verbi, quam ad effectum producendum requiritur. Nunquam n. datur virtus virtuosior virtute Dei, neque potentia potentior potentia Dei. Verbum a. est potentia ad salutem. (3) Dist. est inter instrumenta ἄεργα, et συνεργητικά. prioris ex. est malleus, penna &c. posterioris oculus, manus, &c. tale vero instrumentum est Verbum Dei. Nota hic aliud exemplum: baculus Mosis elevatur ad operandum & miracula edenda, quemadmodum &c. at panis Angelicus virtute nutritiva et aliis caret qualitatibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Atqui Baptiſmo. &c. E. Majoris connexio inde firma; quia τὸ induere Chriſtum & cœtera inferunt unionem myſticam, quæ à parte rei nil niſi ea, de qua agimus, deſponſatio eſt. Minor è dictis conſtat *(α) De Cœna* verò: Quocunque medio unum corpus cum Chriſto reddimur, per illud deſponſamur Chriſto. Atqui per cœnam, &c. 1. *Cor. X*, 17. ubi unum corpus cum Chriſto fieri infert arctiſſimum & indiſtantem unionis modum, quam propriè enim & indiſtanter corpus & ſanguinem Chriſti percipimus, tàm propria etiam & indiſtans hæc eſt unio. *(β)* Notaſſe hîc juvat: (1.) Baptiſmum eſſe medium, quo fœdus primum initur, & ſponſalia inchoantur, ſed cum diſcrimine. In adultis Baptiſmus non inchoat fidem ſed obſignat, ſiquidem in adultis jam per verbum fides generatur, *Eph. III*, 17. Unde ſolo verbi auditu ante Baptiſmum Spiritu S. repletus erat Cornelius, *Act. X. v.* 44. in infantibus verò per Baptiſmum & inchoantur & obſignantur hæc ſponſalia. (2.) Cœna Dominica medium eſt conſervandi myſtica ſponſalia, ſiquidem fidem in nobis alit, fovet, atque adauget. (3.) Sed hæc ordinaria media ſunt. Extraordinariè verò DEUS abſque his mediis fidem conferre poteſt, quod fieri ſperamus in Chriſtianorum infantibus ante Baptiſmi perceptionem denatis. *(γ)* DEUM enim ad hæc media quibus nos alligavit, ipſum adſtrictum non eſſe, docet exemplum Johannis Baptiſtæ, *Luc. I*, 41. (4.) Hîc mediata eſt deſponſatio Chriſti cum fidelibus per verbum & Sacramenta, in altera autem vita immediata erit, ubi ſponſum de facie ad faciem viſuri ſumus.

(α) *Gal. III*, 27. 28. *Tit. III*, 5. 6. (β) *contra Calvin. V. conf. Helvet. A.* 1566. *art.* 17. *Chamier. Panſtrat.* T. 4. *l.* 9. *de Euchar. c.* 8. (γ) *contra Lombard. l.* 4. *ſent. diſt.* 1. *lit. L. Thom.* 3. *q.* 65. *art.* 4. *Gretſer. in Coll. Ratisbon. ſeſſ.* 1. *p.* 41. *Bellarm. de Bapt. Sacram. c.* 4.

§. VII. Media à DEO oblata dum applicant miniſtri, cauſæ miniſteriales ſunt, & velut proxenetæ ad conciliandum cœleſtis ſponſi amorem. Talem ſe Apoſtolus deſcribit 2. *Cor. XI*, 2. ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ (παρθένον ἁγνὴν) παραστῆσαι τῷ Χριστῷ. Tales etiam ſe gerunt omnes fideles verbi divini præcones, annunciando verbum ſponſique notitiam gentibus inſtillando, hortando, monendo, & ut breviter dicam, applicando media, *V. Cauſa miniſteriales.*

quibus

quibus vinculum illud myſticum coaleſcit. Quin imò quaſi cuſtodes pudicitiæ ſunt, ne ſpiritualis caſtitas alieno amore polluatur, aut ſi forte divortium fecerit peccatis infecta anima, ut ad priorem virum reducatur. Quem effectum etiam impii miniſtri producere poſſunt, cum verbi efficacia & virtus nec ab intentione miniſtri, (α) nec dignitate ejus pendeat. (β)

(α) *Contra Pontif in ſpecie Bellarm. l.1. de Sacram. c.27.* (β) *contra Donatiſtas, Schvvenck feld. Anabaptiſt. Vid. Mentz.* T.4. *diſp. Marp.* 14.

VI. Materia deſponſationis, & (1.) Sponſus.

§. VIII. Sponſus idem, qui cauſa efficiens, Chriſtus eſt, ille inter homines formoſiſſimus, *Pſ. XLV, 3. ſeqq.* qui uti Ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς. Ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. Ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον, &c. *Eph. V, 26.27.* ita ſponſæ ſuæ ineffabili & myſtico modo propriè tamen etiam juxta H. N. unitur. Ut enim & ſponſus noſter qua homo eſt, ita etiam in deſponſatione myſtica non tantum juxta divinam, ſed & humanam naturam propriè & indiſtanter cum homine fideli unitur, eique gratioſè in his terris (non tantum immediatione virtutis ſed & ſuppoſiti) præſens eſt. (α) Eſt enim hæc deſponſatio apoteleſma θεανδρικὸν, officii Chriſti regalis gratioſi, in quo obtinet canon ille Chalcedonenſis: *Utraque natura agit quod ſuum eſt cum communicatione alterius, & quæ inde fluit, præſentia alterius.* E noſtro textu urgeri poteſt vox emphatica copulandi, quæ (1.) non externam tantùm σχέσιν ſed arctiſſimam & realem unionem infert, à qua (2.) humana natura ut terminus deſponſationis excludenda non eſt, ſed potiſſimum reſpicienda. Provocamus ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Hîc autem repetimus argumentum: juxta quam naturam ſponſus noſter eſt, juxta eam quoque indiſtanter unitur. Atqui juxta humanam naturam. E. Accedunt & alia. Juxta quam naturam toti Eccleſiæ præſens eſt, juxta eam & cuivis membro. Atqui juxta humanam naturam, &c. E. Minor ex *Matth. XVIII, 19.20. & c. XXVIII, 20.* probatur. Juxta quam naturam conſpectum mundo ſubtraxit, juxta eam ſe præſentem futurum promiſit. Atqui juxta humanam naturam conſpectum mundo ſubtraxit. E. *porrò:* Juxta quam naturam Chriſtus per fidem habitat in cordibus noſtris, juxta eam quoque nobis gratioſè

13. Hoec a. promissio potissimum respiciat statum expectationis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Lectori Benevolo S. P.

DIſputationem hanc Theologicam, Præcellentis Viri Juvenis, Dn. M. HECTORIS GOTFRIED MASII, Meclenburgenſis, de *Deſponſatione Fidelium cum Chriſto*, ex Hoſ. II, 19. 20. inſcriptam, ſi prolixè & operoſè Tibi commendem, duo ſunt, quæ vereor: Unum, ne vulgaris tritique proverbii, Vino vendibili non eſt ſuſpendenda hedera, vel oblitus planè fuiſſe, vel locum, quem meretur, & apud omnes obtinet, non conceſſiſſe videar: Alterum, ne prudenti & exacto Tuo Judicio diffidere appaream: quam verò utramque notam non libenter incurrerem, nec incurrere etiam debuerim, cùm is ſim, qui nihil quicquam dubito, quin ſeipſum opus ſuumque Magiſtrum Tibi abundè probaturum ſit. Non mole magna Diſſertatio eſt, nec affectatorum prolixâ verborum pompâ tumet: ſed intra juſtum Exercitii Academici modum ſeſe continet, puroque luculentæ latinitatis ſtylo res Theologicas obſcuriores etiam & abſtruſiores propinat. Quæ quovis cothurno præſtantior laus eſt. Rerum verò Theologicarum quanta in paucis paginis copia eſt? Ut aliquod copiæ cornu dicere non immeritò poſſis. Nec difficulter apparet, conſcribi non potuiſſe, niſi ab eo, cui univerſa Theologia, tàm Vetus quàm recentior, non nota tantùm & lecta eſt, ſed & maturo exactoque judicio examinata probè atque dijudicata. Si Titulo ſuperbire voluiſſet, hunc ſibi fortè Diſputatio præfigere potuiſſet; De Sponſalibus &c. ex univerſæ Theologiæ ſanæ fundamentis explicatis & ſolidè deductis. Quid namque in Veteri Theologia priorum Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculorum contra hæreticos præcipuè diſputatum eſt, cujus, non obſcura, ſed accurata veſtigia invenias? Quid armorum recentior extremorum temporum Theologia, multitudine errantium ampliata, in arenam producere coacta eſt, quo non armata ſint, quæ hîc in publicam prodeunt palæſtram? Nec Scholaſticorum ſubtilitates prætereuntur: Ita tamen,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

ut dijudicentur, & ſicubi opus, improbenrur, non improvidè approbentur & commendentur. Ex opere itaque ſi judicium tuleris de artifice, conſtabit, in intima Theologiæ adyta eundem jam penetraſſe; quò penetrare ii ſolent, qui primorum ſcamnorum titulos merentur. Nec mirum eſt: eâ namque dona egregia divinitùs ſibi conceſſa diligentia atque pietate excolere non deſinit, ut benedictionis divinæ promiſſæ participem ſe reddere laboret, & ubere ejus imbre ditetur. Quicquid eruditionis amplioris hactenus ſibi comparavit; piorum morum modeſtia exornat. Teſtem me Tibi, BENEVOLE LECTOR, ſiſto: domeſticum quidem, non de domo tamen; eumque, quem hoc minùs repudiabis, quòd me quotidianum eorum, quæ tractat agitque, obſervatorem non extimeſcit. Sed recordor, non prolixam me & operoſam commendationem ſcribere inſtituiſſe. Et perſuaſum habeo, Eum, qui titulos laudesque mereri potiùs vult, quàm petere & ambire: in arena publicâ talem ſe præſtiturum eſſe, ut palàm fiat, prolixis meis verbis non opus habuiſſe. Dabit Ei DEUS, quod ſpero, & voveo, propediem locum, quo dignus eſt, ſuæque gloriæ amplificandæ & Eccleſiæ ædificandæ adhibebit. Amen! Scribebam Argentinæ d. XV. Octobr. Anno Domini MDCLXXIX.

Sebaſtianus Schmidt, D.
Univerſitatis Argentoratenſis
h. t. RECTOR.

Q.B.V.O.M.D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Verbi efficacia ō dependet ab intentione min.

Christus est juxta ff. X. gratiose p̄sen

NB. locū ad Ephes. 4. /) V. Misler. Coll. Anti C. qq. L.L.CC. Stranitus & autores ibi citatos.

nec à dignitate /

Etiam πρόσκαιροι / v. Luc. VIII. 13. si excidunt fide, e. steterint in fide. it. Hebr. 6.

Nota. (1) Fides temporaria n. e. opponenda fidei salvificae, sed perpetuae. // ut foetus in utero materno vere vivit, licet vel aliquod tm temporis momentum vivat, n. ita etc.

obj. Luc. 22. 31. R. 1. agit ibi specialiter de Apostolis (2) argtm q. Calvin. Nisi enim potuisset excidere gratia & fidem amittere, opus n. fuisset precibus Christi.

Infantes credunt / regenerati. Joh. 3. v. 5. id est filii Dei evadunt, sed n. sine fide. Joh. 1. 12. ii Christum induunt. Gal. 3. 27. sed non sine fide. Ephes. 3. 17. imo expresse credere dicuntur. Mth. 18. 6.

Ad obj. resp. Not. (1.) n. de fide naturali sed supranaturali loquimur. (2) dist: inter fidei actum reflexum, & fidei actum directum s. simplicem. hic convenit infantibus n. ille.
(3) Fides non oritur e verbo visibili n. audibili.
(4) actus fidei a modo distinguimus. hunc ignoramus, illum novimus.
(5.) ratio n. e. principium fidei, d. operatio Spiritus S. / rao ipsa captivanda est sub obsequium fidei. /

tioſ
ram
θεα
diat
pre
ſed
E.
h.e.
cim

c.16
p.2

c.V
nis
mi
co
de
Su
ſib
ho
ve
na
ne
ſa

tioſè & ſubſtantialiter præſens eſt. Atqui juxta humanam natu-
ram, per *Epheſ. III,* 17. Loquitur enim (1.) Apoſtolus de toto
θεανθρώπῳ eodemque ad dextram Patris ſedente, exaltato & me-
diatore noſtro. Et (2.) juxta quam naturam Chriſtum fide ap-
prehendimus, juxta eam nos inhabitat, i. e. gratioſè præſens eſt.
ſed & juxta humanam naturam Chriſtum fide apprehendimus.
E. Minor patet ex *Joh. VI.* ubi ejus carnem ſpiritualiter credere,
h.e. fatentibus ipſis Calvinianis, fide juſtificante apprehendere di-
cimur.

(α) Contra Calv. communiter, in ſpecie *Wendel. l. 1. Chriſt. Th. c. 16. p. 255. & Exercitat. Theol. p. 54. 55. Maſſon. P. 2. Anat. cap 19. ſ. p. 272. Kekerm. l. 2. Syſt.* Theol. *pag.* 319. 320.

§ IX. *Sponſa* eſt Eccleſia, & quælibet *fidelis anima* Cant. I, 15. *(2) Sponſa.*
c. IV, 1. *ſeqq.* depicta. Neque tamen corpus fidelium conjunctio-
nis myſticæ ſubjectum eſſe negatur, ſiquidem Chriſtus totum ho-
minem anima & corpore conſtantem diligit. *Joh.* XIV. unde &
corpus Spiritus S. templum eſſe dicitur, 1. *Cor.* VI, 19. & (conſi-
dera emphaſin) membra corporis Chriſti vocamur, *Eph.* V, 30.
Subjectum ergò deſponſationis myſticæ non Eccleſia tantum vi-
ſibilis eſt, (α) ſed quilibet fidelis homo, (β) neque tamen qua
homo, nec qua redemptus, nec mortaliter peccans, (γ) ſed
verâ fide juſtificatus, adeoque non electi tantum, ſed omnes re-
nati, quousque in fidei ſtatu perſeverant, etiam πρόσκαιροι (δ)
neque adulti tantùm, ſed etiam infantes, quia credunt, deſpon-
ſationis myſticæ participes eſſe poſſunt. (ε)

(α) *Contra Becan. manual. l. 1. c. 3. n. 26.* (β) *nota tamen diſcrimen inter fideles Vet. & N. T. illis quidem tota SS. Trinitas per fidem unita erat, adeoque etiam λόγος, at Hum. Natura (licet jam tum ut aſſumenda fidei objectum eſſet) ſubſtantialiter tamen præſens non erat. Sed fidelibus in N. T. hæc gloria relicta, ut totum* θεάνθρωπον *in aſſumpta carne ſibi ſimilem, propriè ac indiſtanter, ſed ſingulari modo ſibi junctum habeant. Quod diſcrimen nonnulli noſtratium ita enunciant:* ὁ λόγος ἄσαρκος *immediatè cum piis unitus,* ἔνσαρκος *mediatè, videlicet in carne, cum carne & per carnem. Ubi tamen illud addo: voces immediatè & mediatè non eſſe ad* ἀκρίβειαν *oppoſitionis conſuetæ trahendas, ſed juxta mentem* Theologorum *intelligen-*

 das,

das, ut aquippolleant τῷ ſolitarie & conjunctim. Aliàs enim & λόγος etiamnum immediate nobis unitur, tàm immediatione ſuppoſiti, quam virtutis; imò utriusque naturæ in Chriſto eſt eadem præſentia, non duplex, immediata altera, altera mediata, ipſius adeſſentiæ reſpectu. (γ) contra Calvin. Wendelin. Exerc. 120. Maſſon. P. 3. anat. c. 8. & 13 Polan. l. 9. ſynt. c. 6 p 1902. (δ) contra act. ſyn. Dordr. p. 767. Polan. l. 6 ſynt c. 36. (ε) contra Pontif. in ſpecie Becan. manual. l. 2 c. 2. contra Calvin. Cham T. 3. Panſtrat. l. 13. c. 10. n. 18 Wendel. Exc. 86.

VII. Forma deſponſationis myſticæ.

§. X. *Formam deſponſationis myſticæ* noſter textus una voce ארשתיך ter repetita exprimit. Quæ infert *veram, realem & arctiſſimam unionem divinæ & humanæ naturæ cum homine renato.* Dico (1.) *unionem*: eſt enim deſponſatio, ut ita loquar, ſpecies unionis myſticæ, quatenus illa ad Chriſtum θεάνθρωπον refertur; qui inter noſtrates eam unionis myſticæ conſequens faciunt, vel inter unionem in actu & ſtatu diſtinguunt, vel denominandi modum forte ſpectant: unionis vocabulum non reformido cum noſtratibus Theologis, neque etiam ſatis video, cur vera conjunctio unio dici nequeat. (2.) *Veram realem & arctiſſimam unionem dico.* Non enim hîc tantùm σχετικὴ quædam relatio inter Chriſtum & fidelem eſt, ſed arcta utriusque copulatio, citra tamen extremorum commixtionem; ut (3.) *tàm divina quàm humanæ Chriſti Natura* verè, propriè & indiſtanter, modo quidem ineffabili, propiori tamen ſubſtantiæ approximatione cum renatis uniatur. (4.) Unde porrò infero: Forma deſponſationis myſticæ non exhauritur ſola affectuum harmonia & gratioſa ſponſi in nobis operatione. Equidem hæc copulatio in nobis ἄεργος non eſt, ſed maximè operativa. Ubi enim Chriſtus in renatis eſt gratioſè præſens, ibi & gratioſè efficax eſt. At eadem hæc operatio gratioſa, ut præſentiam Chriſti generalem juxta utramque naturam præſupponit, ita præter eam majorem utriusq; naturæ propinquitatem importat. Ut enim generalis DEI concurſus præſentiam univerſalem comitem habet, ita & ſpecialis illa operatio ſpecialiorem præſentiam ponit. Id in noſtro textu haud obſcurè inſinuat deſponſandi ſimilitudo, quæ non mutuum favorem tantùm, ſed & majorem corporum propinquitatem & ſecuturam

cuturam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Deus juxta substantiam propius fidelibus unitur.

(I) verba sunt ὑπαρκτικά, notantia ὕπαρξιν & παρουσίαν suam substantialem, quae ut sic vere distincta est ab actione gratiosa transeunte.

II. dicitur habitare, quod notat substantialem praesentiam specialem. Sol non dicitur habitare in nobis. &c.

III. dicitur ambulare inter nos, ut ubi quis habitat, ibi praesens est.

quod a. ubique sit, intellectu non capimus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

cuturam cohabitationem infert, quam comparationem non refugit Scriptura, *Eph.* V. Sicut ergo conjuges arctius uniri oportet, quam extra conjugium, ut una caro fiant, ita etiam Chriſtum cum fidelibus juxta ſubſtantiam ſuam propiùs conjungi credimus, ut unum corpus myſticum conſtituiſſe dicantur. Urget hoc tertium comparationis B. Hülſem. Brev. c. XIV. Juvat etiam hanc noſtram ſententiam emphaſis verborum ὑπαρκτικῶν, quæ cur mutabimus in merè ἐνεργητικά? ut pro illo: *Ego te mihi deſponſabo* i. e. *arctius me ipſum tibi jungam*, ſubſtituamus: Non me ipſum, ſed dona mea tecum copulabo. Quin potius inſiſtimus verborum proprietati, quam magis fulciunt & alia dicta, *e. g.* Joh. XIV. *Veniam ad illos*, &c. ubi verba iterum παρουσίαν inferunt, non tantum operationem. Quid igitur me cogit deſerere literam, & quæ ſubſtantialiter dicuntur, in merè operativa convertere? Non deſunt tamen inter noſtrates, qui majorem ſubſtantiæ divinæ ad renatos approximationem abſurdam ſtatuunt, ſed rationibus philoſophicis moti, & præcipuè illa, quantum mihi cognoſcere licuit: Præſentiam ſubſtantialem divinam nulli mutationi obnoxiam eſſe. Atqui præſentiam gratioſam eſſe mutabilem. E. non eſſe ſubſtantialem. Ad quod argumentum jam reſpondit B. Feurbornius: (β) Majorem indiſtinctè ſumptam negando. Nonnemo tamen ex immenſitate DEI obſtaculum arceſſit ita colligendo, Ante præſentiam gratioſam inter DEUM hominemque aut diſtantia fuit aut ſecus. Si prius, læditur immenſitas DEI, per quam omnibus rebus indiſtanter adeſt; ſi poſterius, uniri propius non poteſt; qui jam indiſtanter adeſt. Unde concludit, DEUM ratione ſubſtantiæ uni rei magis approximari non poſſe, quàm alteri. Sed hoc argumentum ſolvitur per inſtantiam unionis perſonalis. Nonne enim λόγος infinitus ſalva infinitate ſua carnem aſſumptam arctius ſibi univit, quàm ſanctos aut alias creaturas? E. ratione immenſitatis nihil obſtat, quo minus DEUS juxta ſubſtantiam propius creaturæ uni quam alteri jungatur. Quam inſtantiam *Summè Rev. Dn. D. Hannekenius*, *Præceptor meus perpetuò obſervandus*, potiſſimùm inculcare ſolebat, ad quod etiam nihil reſpondet Theologus quidam celeberrimus, licet aliàs eodem fundamento noſtram ſententiam impugnet. Quod ſi dicas te capere non poſſe, quomodo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

modo qui immenſus eſt, propior fiat, & qui indiſtanter adfuit, arctiori modo præſens fiat, fatebor & ego ignorantiam meam, quæ tamen non magis etiam præſentiam DEI generalem capit. Interim dabimus illud verborum proprietati, dabimus etiam fidelium ſolatio & prærogativæ, ut fieri poſſe exiſtimemus, cujus modum ignoramus.

(α) *Contra Calvinianos qui nimis leviter de unione fidelium cum Chriſto ſentiunt, ut contra Weigeliani ac Fanatici hanc unionem nimium extendunt. Ita autem Alting. Expl. Catech. p.327. Unio noſtra cum Chriſto eſt tanquam membrorum cum capite, & palmitum cum vite, caput non eſt intra membra, nec vitis intra palmites, ſed ſitu differunt, nexu autem conveniente in unum corpus copulantur.* (β) *T.5. diſp. Marp. XXIV. p.373. conf. Feurb. ſect. 2. κενωτιχῆ. c. 6. n. 5. p.143. & ſeqq. Hülſem. in* Calixtiniſchen Gewiſſens-Wurm/ *c. 8. Magnif. Dn. D. Calov. Syſt. T.X. art.5. quæſt.3. contra Calixt. in append. de duab. quæſt. aliosque.*

Deſponſat. myſt. mutationem eſſentialem aut perſonalem non ponit.

§. XI. Ut verò deſponſatio myſtica majorem ſubſtantiæ Chriſti propinquitatem ad ſubſtantiam fidelium involvit; ita tamen mutationem eſſentialem aut perſonalem non infert, ut Chriſtus & fideles vel unam eſſentiam conſtituant, vel in unam perſonam coaleſcant, quemadmodum Fanatici volunt, interque eos Weigelius. (α) Hanc enim Weigelii mentem fuiſſe neſcio quo pacto nonnulli in dubium vocent, cum publica ſcripta hominis abſurdi doctrinam ſatis ſuperque prodant. Quod portentum licet refutationem non mereatur, ſuppeditat tamen & hic noſter textus unum alterumve argumentum. (1.) Q. in deſponſatione myſtica nihilominus ut ſponſus & ſponſa differunt, illi eſſentialiter aut perſonaliter non ſunt uniti. Atqui Chriſtus & fideles in deſponſatione myſtica nihilominus ut ſponſus & ſponſa differunt. E. (2.) Q. nobis amiſſibile eſt, id nobis eſſentiale non eſt. Atqui unio Chriſti cum fidelibus amiſſibilis eſt. E. eſſentialis non eſt.

(α) *Dial. de Chriſtian. cap.1. V. & part. 1. poſt. p.214. qua tamen an ejus mens ſit, dubitat Calixtus. Ad Weigelium proximè accedunt novi Fanatici Hoburgus, Amersbach aliique eorum ſocii ab integris miniſteriis refutati. Lutheri verba in cap. 6. Johannis in hac*

materia,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Nota: (1) non O. unio infert p̄dicatōem p̄denticā. Anima
& corpus ſt unita, nec tn. de ſe invicem praedicant. potiꝰ
contrariū, qa extrema ſt unita. E. ō ſt realiter eadem,
E. ō faciunt propoſit: identicam. porro: ſi diviniꝰ ē
unio ēalis inz Patrē et F. & Sp. S. nec tn. filiꝰ ē Pater.
II. quid me ſequeris? tres. R. de eo poſtea agimꝰ. (2)
Q. habet filiū habet Patrem. E. filiꝰ eſt Pater. 2. Contra
Q. violat legatū, m. violat Principem. E. legatꝰ eſt
princeps. abſurdum! potiꝰ contra. E. non eſt princeps.
nemo n. ē ſui ipſiꝰ legatꝰ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

materia, licet prima fronte duriora videantur, ex antecedentibus tamen & conſequentibus ſatis commodè exponuntur.

§. XII. E dictis patet, quid ſentiendum ſit de iſta phraſi, ſi quis propter unionem Chriſti cum fidelibus dicere velit: *Ego ſum Chriſtus.* Weigelianis ea locutio arridet, quæ jam olim in Auguſtino de Roma Archiepiſcopo Nazeno damnata eſt, (α) Eadem Luthero impingebatur à Conrado Vettern in Colloquio Ratisbonenſi, ſed non ſine crimine falſi. (β) Nam, quas addidit vir divinus, cautelæ, ſenſum plane alium gignunt, quam volebant Pontificii, eumque à ſuſpicione heterodoxias planè immunem præſtant. Et nuper ejusmodi phraſis à Theologo quodam celeberrimo defendi cœpta, ab alio vero impugnata; ubi tamen gratulamur orthodoxiæ, quod utrinque obtrudatur nemini, ab altera verò parte tantum emolliatur. In quo ut reprehendi non poteſt, qui Lutheri phraſin commodè explicandam ſuſcipit, ita facilius aſſenſum inveniet, dum paradoxon eſſe affirmat. Et certè paradoxon eſt, quod ut ſollicitè foveatur, cauſam nullam video. Neque etiam ſatis intelligo, quid ſolatii inde emergat, ut nonnullis putatur. Certè non carent ſolatio hæc ſcripturæ dicta: Chriſtus in me habitat, Chriſtus ſe mecum deſponſavit, etiamſi cum Johanne cæteroquin profiteamur: *Non ſum Chriſtus.* Qui hîc fundamentum unionis myſticæ urgent, non ſatis commodè procedunt. Aliàs enim & dici poſſet: Ego ſum Pater. Ego ſum Spiritus S. Cùm Pater & Spiritus S. non minus cum anima fideli quam Chriſtus uniantur. Equidem de Chriſto ſpeciale eſt, quod enunciat Paulus *Eph.* 5,30. *Eſſe nos membra corporis ejus ex carne ejus & ex oſſibus ejus*; quæ tamen verba alteram propoſitionem nondum inferunt, nec æquè dura ſunt, (ut illis videtur) ac ſi dicas: *Ego ſum Chriſtus.* Nam & cùm propriè dicam de Eva, eſſe eam de carne Adami, nunquam tamen dico: *Eva eſt Adam.* Sed manum de tabula.

(α) *Vid. Carantz. in ſumm. concil.* (β) *Vid. Relat. de Colloqu. Ratisbon. Heilbrunn. Edit. p.* 93.

§. XIII. Finis deſponſationis myſticæ eſt certa fidelium perſuaſio de gratioſa DEI aſſiſtentia & propenſiſſima voluntate, tum obſignatio beneficiorum à Chriſto partorum, itemque firma futuræ

de phraſi *Ego ſum Chriſtus.*

VIII. Finis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

ſutu æ gloriæ cum ſponſo participandæ fiducia, *Rom.* VIII,10.11, *ſeqq.* 1. *Joh.V*,24.27.28.

IX. *Effectus.* §. XIV. Effectus deſponſationis myſticæ eſt largiſſimæ dotis communio. Ut enim aliàs unionem veram ſequitur communicatio, ita & cœleſtis ſponſi cum ſponſa conjunctionem mutua quædam κοινωνία excipit, ut & fideles ſibi ea, quæ Chriſto propria ſunt, adſcribant, & viciſſim Salvator ea, quæ fidelium ſunt, ſibi tribuat. In noſtro textu juſtitiam, uti vidimus, in dotem offert, quo uno vocabulo omnia beneficia nobis imputata exprimuntur. Ubi enim juſtitia & remiſſio peccatorum eſt, ibi eſt & vita & ſalus æterna. Alibi autem Scriptura fuſius & per partes enumerat bona dotalia, quorum in deſponſatione cum Chriſto participes reddimur, unde glorioſæ prædicationes emergunt, ut dicamur cum Chriſto crucifixi (α) mortui & ſepulti (β) reſuſcitati (γ) vivi (δ) filiationis participes (ε) imò ex aſſe hæredes ſcripti (ζ) ex qua hæreditate communio regni, ſacerdotii, gloriæ & cœleſtis gaudii poſſeſſio redundat. (η)

(α) *Gal.* II,19. *Rom.* VI,7. *Phil.* III,10. (β) *Rom.* VI,2.5. *Col.* II,20. (γ) *Col.* III,1. *Eph.* II,5. *Rom.* VI,5. (δ) *Rom.* VI,8. *Gal.* II,20. (ε) *Joh.* I,12. *Rom.* VIII,14.15. 2.*Cor.* VI,18 *Gal.* IV,6.7. 1.*Joh.* III,1. (ζ) *Rom.* VIII,17. *Gal.* IV,7. (η) 2.*Tim.* II,12. 1.*Petr.* II,9. *Rom.* VIII,17. 1.*Petr.* 4,13.

X. *Definitio.* §. XV. Ex iis, quæ dicta ſunt, facile eſt eruere hanc definitionem: Deſponſatio myſtica eſt actus gratioſæ præſentiæ divinæ, quo ſe Salvator cum credentibus per fidem nexu arctiſſimo, ſed tamen impermixtibili, copulat, ad perpetuum ſuaviſſimumque amorem, bonorum omnium communionem, & futuræ gloriæ in nuptiis agni hæreditatem.

XI. *Adjuncta.* §. XVI. Adjuncta deſponſationis varia ex analogia & materia unionis afferri poſſent; nos vero inſtituti ratio terminis arctioribus conſtringit. Tria tamen, quorum in textu mentio fit, repetimus. (1.) Hanc deſponſationem eſſe ſenſu ſpirituali jucundiſſimam. conf. *Hebr.* VI. (2.) Per peccata proæretica rumpi à renatis, ſed tamen (3.) ſi reſipiſcat homo, redintegrari poſſe. (β)

Contra Calvinianos communiter, in ſpecie contra Polan. l. 9. ſynt.

(1) Ψ. 1.

Rx. Tota arboris hypo[...] et hypothetice int[...] q non ambulat [...] ipsi sese eradic[...] marcescunt [...] [...] marcescunt.

Ψ. 37. v. 23. 24. De cadens. non abjicitur.

Rx. 1 hic intelligitur casus adversi, primi primum non opprimi. et (2) non extingui penitus in Deo fiduciam per calamitates. cf. Rom. 8.
(2) si vero cadere notet lapsum peccati, possunt peccata ignorantiae & infirmitatis intelligi, per prox.
(3) vero abjicere potest de finali abjectione intelligi.

Ψ. 11. Rx. contra hunc probatur spiritus auferendi possibilitas.

Ψ. 73. sustentatio illa non est irresistibilis.

Ψ. 125. totum: qui causale est. q & quatenus, qua, quamdiu in Domino sperant. Civitas invicta erit tuta, nisi se ipsum hosti dedat.

Ψ. 145. 14. Rx. (1) ut ad Ψ. 37. (2) dicuntur erigi. E. ceciderunt.

Job. 19. Rx. Jobi ex infirmitate peccavit.

Cant. 8. v. 7. Rx. aquae hic sunt calamitates, tribulationes.

2. Sam. 7. 14. 15. Rx. (1) gratia hic est non salvifica, sed gratia perpetuandi regni. (2) promissio sub gratia salvifica. E. absolute. Nec conditio extat. 1. Reg. 2. 4. c. 8. 25. c. 9. 4. & 5.

Es. 46. Rx. certe ipsi renati saepe fuerunt in sua viscera. (2) an nove de novo parturiendi sunt Galatae.

Es. 54. perpetuitas promissionis a parte Dei conditionata est.

Es. 59. non recedent. Verba in futuro posita imperative intelligenda sunt.

Jer. 40. Rx. 1. de unitate invisibili collective sumpta.

Mth. 24. Marc. 13. 22. Rx. (1) non possunt seduci a pseudoprophetis & ydem in fide. E. plane & in vita seduci non possunt. (2) moraliter impossibile est, h. e. difficile. Non tamen absolute & physice impossibile est. cf. Thren. 4. 10. ita loci. q[...] bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. (3) impossibile est seduci finaliter. licet totaliter. (4) in sensu composito impossibile est.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

*ſynt.c.6. Maſſon.P.3.anat.c.8.& 13.Wendelin.Exerc.*120. (β) *contra Novatianos. &c.*

SECTIO PRACTICA.

Tu verò ſiſte mentem, Benigne Lector, & meditare Salvatoris tui connubia. Magnum eſt dicente Paulo hujus deſponſationis myſterium, ubi DEUS ipſe ſponſus eſt. Procul eſte impuriores flammæ, voluptatibus innutritæ mentes, hîc nos flamma cœleſtior & innocuus amor urit. Has tædas ſine tædio cogitemus, ſed piè, ſed Scripturæ convenienter. Exulet, quicquid præter eam vel fingit ratio, vel ſuggerit fanatica perſuaſio. Dignitatem ſpiritualem contemplari fas eſt, ſed ſine virium arrogantia; gloriari licet de cœleſti vinculo, ſed ſine operum fiducia. Quid enim tanto connubio dignum, & quam ſponſo dotem afferre poſſumus miſeri mortales? Nihil eſt in nobis quod placeat præter ipſum illud, quod ipſe dedit. Quod noſtrum eſt, deformitas, imperfectio, imò peccatum eſt. Abſit à nobis pulchritudinis opinio, qui æquè ac Epiſcopus Laodicenſis nudi, miſeri & abjecti ſumus in oculis DEI. At ille ſuaviſſimus animæ noſtræ procus ſeipſum tradidit, ut ſponſam ſibi nitidam absque rugis & maculis efformaret.

...
Vſus ...
dactic...

Apoc. III.

Eph.V,27.

Cape hanc dignitatem tuam fidelis anima, cœleſtis illa copula eſt, quâ conſtricta teneris. Platonis quidem illa ſententia eſt: Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται. At enim novimus præſentem nobis DEUM, & Salvatorem noſtrum ſuaviſſimo nexu nobiſcum junctum ſentimus. Non invidebimus Eſtheræ ſuperba Ahasveri connubia; Delicatior ille amor eſt, ubi Sponſus Rex Regum & Dominus Dominantium audit. Hæc eſt Chriſtianorum felicitas, & major quidem illa, quam ut cogitando nedum dicendo aſſequi poſſimus. DEUS ille ſponſus eſt, *quid non ſperemus amantes*? Benignus eſt, & quæ vota implere nollet? amantiſſimus hominum eſt, & quî ſponſæ ſuæ poterit oblivisci? fidem nobis æterni vinculi dedit, eam ergo non fallet, aut ſponſæ repudium mittet. Quin potius certò cum Paulo perſuaſi eſſe poſſumus, fore, ut nobis hoc quoque depoſitum noſtrum usque ad noviſſimum diem cuſtodiat.

Vſus paracleticus.
Sympoſ. p.203.

2.Tim.I,12.

Sed

Sed idem illud terrorem tibi incutiat, ſecure peccator, quod
atium affetre poſſet. DEUS eſt, cui jungeris. Cave ergò,
a patitur amor iſte rivalem. Zelotypus eſt DEUS noſter,
ptique fœderis acerbiſſimus vindex. Luêre nefas Aaronis filii,
um ignem alienum ſacrario inferrent, quid tibi reliquum eſſe
cenſes, ſi alieno igne ſanctiſſimum nexum conſpurcaris? Væ no-
bis! ſi divortium fecerit Redemptor, id eſt], à gratia, ſalute & vita
bonisque omnibus excluſum eſſe. Cavebimus ergo divinâ gratiâ
adjuti; neſciet thorus noſter alieni amoris conſortia. Bonum
nobis erit adhærere Domino, nec priùs quicquam aut antiquius,
quam ut ipſi amorem omnem & quicquid in nobis virium eſt, ſoli
emancipemus. Nunquam mundus veniet in hujus vinculi ſo-
cietatem, nunquam amorem ſibi noſtrum expugnabit. Jactet
pompam hujusque ſeculi πολλὴν φαντασίαν, nobis illud Pauli ob
Rom. XII. oculos verſabitur: μὴ συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ. Objiciat
v. 2. voluptates ſuas carnisque illecebras, & quicquid eſt in ſinu terræ
delitiarum, nos quidem cum Dema non rapiet in ſui amorem. Sol-
licitet in amplexus ſuos, nobis cum Joſepho conſtitutum erit:
Gen quomodo hoc facerem, & in Deum peccarem? Ita nemo nos ſepa-
XXXIX, 9. rabit à dilectione ſponſi noſtri, *Rom.* VIII. usque dum nuptias
agni celebremus, *Apoc.* III. ubi ſponſalia hîc inchoata intermi-
nabili connubio ſancientur. Tu JESU juva propoſitum, & quæ
inchoaſti in nobis ſponſalia, Irrupta ſerva: ſic nos verè

Felices ter & amplius
Quos divina tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Quanta ſit amicitia tua fides & quam ſingular...
cum ſaepius alias tum in hoc potiſsimum negoti...
Quo nomine gratias tibi ingentes ago, relat...
~~[illegible]~~ me dicerem, ſi meritis illis penſari tu...
quicquam, quod in vicem grati animi offeratur, ...
tamen ſemper omne ſtudium curam atque operam...
ſione data intelligas, nec amicitiae noſtrae ſ...
tatem deeſſe.

———

pius

Non jam inter privatos parietes terminata benevolentiae tuae candor, sed et dum in publicum prodit, indolem ſuam haud obſcure prodit. Nata hic foret ampla laudis materia depraedicandi ~~[illegible]~~ favorem erga me tuum ~~[illegible]~~ si prolixiorem [amplas] gratiarum actionem ~~[illegible]~~ (amicitiae noſtrae fides ac instituti ~~noſtri~~ ratio pateretur; id tamen non poſsum quin publice fatear, cum jam aliis rebus plurimis me tibi adjunxeris, hoc tamen nomine obſtrictiorem tibi tamen factum, interque eos relatum eſſe, qui cum ſolvendo non ſint, ~~[illegible]~~ nomina tamen nova contraxere.)

Non primum illud eſt benevolentiae veſtrae documentum &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-149 4° 1110